



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. VI. De subalternatione nostræ Theologicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

missis de fide, vel ex altera de fide, & altera naturalis, non assensum fidei infusæ, sed aut inferiorem assensum præmissarum, aut alterius rationis. At verò Canus & Vega præter hunc assensum, qui fit per discursum, & dicitur Theologicus, contendunt esse alium proximè productū lumine fidei, qui tanquam conditionem præcedentem, postulat assensum Theologicum, etiam si hic fit minus certus, quam assensus fidei: id quod mirum non est. Nam ut ipsi optimè notant, & nos latius ostendimus 2. 2. q. 1. artic. 1. assensus fidei infusæ exigit etiam, ut conditionem assensum fidei humanæ: ut enim credatur fide infusæ aliqua propositio, quæ definita est ab Ecclesia, opus est primo credere definitam fuisse, aut in Concilio, aut à Pontifice, quod tamen sola fide humana notum est. Eodem modo prædicatori, aut proponenti articulos fidei, prius credimus fide humanæ. & hac fide supposita statim sequitur superior assensus ex lumine fidei infusæ: sic igitur docent Canus, & Vega posita evidenti consequentia ex articulis fidei, vel ex vna de fide, & alia naturali, tanquam conditione prævia, consequi assensum fidei infusæ: siquidem demonstratio Theologica perinde se habet ipsi Theologo demonstranti: sicut Concilium, cum de fide aliquid esse declarat, se habet toti Ecclesiæ. Solum est differentia, quod Concilium id, quod definit, omnibus proponit credendum ita, ut omnes credere teneantur: ratio vero Theologica illis solum proponit, quibus est evidens consequentia ex articulis fidei: & idèd propositio, quæ est contraria conclusioni Theologicæ, communiter dicitur erronea, non hæretica: quia non omnibus credenda proponitur: propositio verò Scripturæ, vel definitioni Ecclesiæ contraria, vocatur hæretica: quia illa omnibus proponitur credenda; Nihilominus qui haberet Theologicum discursum evidentem ex vna de fide, & alia naturali, vel ex utraque de fide, & non crederet conclusionem, esset hæreticus: tum quia facta prædicta suppositione tenebatur illam credere, tum etiam quia eo ipso non assentiretur alicui præmissæ, quæ est de fide.

CAPVT IV.

Respondetur argumentis contrariis.

9. **I**Am verò ex dictis facile dilui possunt argumenta primæ, & secundæ sententiæ, quatenus huic tercię opinionioni contraria sunt. Cum secunda enim convenit in eo, quod asserit assensum conclusionis Theologicæ comparari habitum adhæsiuum, & non tantum declaratiuum. Superest igitur, ut paucis explicemus circa secundum argumentum primæ sententiæ, utrum habitus Theologicus sit virtus intellectualis, sicut dicitur esse scientia, an non. Respondeo primum, si dicamus conclusionem Theologicam deduci ex articulis creditis fide infusæ, esse sine dubio virtutem intellectualem, sicut de ipsa fide infusæ dicemus 2. 2. q. 4. artic. 5. quia sicut fides infusæ ex parte, obiecti formalis, cui innititur, non potest unquam inclinare ad falsum; sic etiam habitus Theologicæ ad falsum movere non potest per consequentiam ductam ex articulis creditis fide divina: atqui ille habitus dicitur esse virtus intellectualis ab Aristotele 6. Ethic. c. 2. & 3. qui nequit ad falsum inclinare; ergo ex eius sententia fides infusæ, & Theologia erunt virtutes intellectuales: quos quidem habitus si Aristoteles cognovisset, citra controuersiam inger

Habitum Theologia esse virtutem intellectualem.

Aristotel.

ARTIC. II.

virtutes intellectuales connumerasset. Deinde respondeo, si dicamus, Theologicam conclusionem deduci ex articulis creditis fide acquisita, quam aliqui humanam appellant, videbitur forsitan alicui excludenda à ratione virtutis intellectualis, sicut excluditur ab eodem Aristotele opinio: eo quod contingit aliquando opinione dici falsum. Eadem enim ratio videtur de fide acquisita, & de assensu ex ea deducto.

Nihilominus tamen dicendum est, ex sententia quoque Aristotelis, habitum Theologicum hoc modo esse virtutem intellectualem: eo quod fides acquisita per tot miracula, & signa, vitæ sanctitatem & auctoritatem Ecclesiæ addo sit confirmata ut nullus intellectus iuxta regulas rectæ rationis aliud credere valeat: imo cum Ricardo de S. Victore 1. de Trinit. c. 2. ad Deum confidenter dicere possit, Si error est, à te ipso decepti sumus. Nam hæc omnia tot signis, & prodigiis confirmata videmus, quæ non nisi per te fieri possunt. Aristoteles autem ea de causa reiecit opinionem à ratione virtutis 6. Ethic. c. 3. quia fieri potest, ut aliquando opinione falsum dicatur: quare si talis est confirmatio articulorum nostræ fidei, ut nulla recta ratione credi possit ab alio, quam à Deo reuelatos esse, non est cur reiciamus à ratione virtutis intellectualis fidem articulorum acquisitam, & Theologicum assensum inde deductum. Secus autem dicendum est de fide humana aliarum rerum, quæ posse esse falsam facile credimus. Vbi tamen tanta esset auctoritas, ut naturaliter videretur, non posse contrarium esse verum, fides humana etiā esset virtus intellectualis. Talis est, qua credimus Constantinopolim, aut Romam esse. Quis enim non videat impossibile naturaliter esse tot homines, qui de eis testificantur, ad decipiendū conuenisse.

Io.

Ricard.

Aristotel.

DISPUTATIO VI.

De subalternatione nostræ Theologiæ.

Sententia Caietani, & aliorum. cap. 1.
Vera opinio de subalternatione Theologiæ, c. 2.
Respondetur argumentis Caietani. c. 3.

CAPVT I.

Sententia Caietani, & aliorum.

QVÆSTIO hæc iuxta opinionem nostram, qua diximus in quarta disputatione Theologiam non esse scientiam, facile posset expediri; si enim scientia non est, subalternata esse nequit. Ceterum quia nonnulli, qui nobiscum conueniunt, contendunt quoddam genus subalternationis Theologiæ nostræ tribuere, controuersia esse potest, an præter defectum evidentiam, aliquid aliud desit Theologiæ nostræ, quo minus subalternata scientia sit. Prior opinio est Caietani in hoc art. & 2. 2. q. 1. a. 5. qui licet putet Theologiam nostram in nobis verè, & propriè non esse scientiam, ut disputatione 4. vidimus, affirmat tamen esse verè, & propriè subalternatam. Quam sententiam secutus fuit Egidius in 2. principali parte Prologia. 2. & videtur fuisse Capreo. q. 1. Prol. art. concl. 2. & 3. qui eam probat ex multis locis S. Thomæ, quæ meo iudicio nihil ei adstipulantur.

Caiet.

Egidius Capreo.

Duo igitur asserit Caietanus in hoc articulo. Alterum est, Theologiam nostram secundum se esse verè,

se verè,

se verè & propriè scientiam, & simpliciter subalternatam. Sumit autem Theologiam secundum se, vt disp. 4. c. 4. explicauimus. Alterum est, Theologiam nostram in nobis esse scientiam imperfectam (intelligit improprie, vt ibidè notauit) sed subalternatam simpliciter. Vt verò hanc sententiam explicet, quam recentiores aliqui non rectè referunt: notat non esse idem Theologiam secundum se, & Theologiam nostram secundum se. Theologia enim secundum se, est scientia quam Deus habet de seipso: at Theologia nostra dicitur, quæ est in hominibus viatoribus, & Beatis etiam. Quare hæc etiam diuidi rursus potest in Theologiam clare videntium Deum, & in Theologiam viatorum: postremo Theologiam viatorum considerat Caietanus bifariam. Primum, vt est in nobis assensus quidam genitus ex principiis sola fide creditis, deinde secundum se. Intelligit verò secundum se (etiam si ipse non explicet) non Theologiam, vt est in Beatis, distinguit enim Theologiam viatorum, à Theologia Beatorum, & rursus viatorum his duobus modis, quos dixi, intelligit itaque Theologiam viatorum secundum se, vt explicauit ex mente ipsius in 4. disp. c. 4. argumentationem ipsam Theologicam, non applicatam ad tale subiectum, quam diximus, esse veram demonstrationem secundum se, nisi deesset euidencia principiorum.

His positis pergit Caietanus probare Theologiam viatorum, & secundum se, & prout est in viatoribus, esse subalternatam simpliciter, & perfectam scientiam Dei, & Beatorum, non dicitur: scientiam simpliciter, sed subalternatam simpliciter, nam prout est in nobis, inquit, non esse simpliciter scientiam, esse tamen subalternatam, at secundum se esse scientiam, & subalternatam. Vtroque ergo modo dicitur esse simpliciter subalternatam, sed altero tantum esse scientiam. Probat autem hac ratione. Si quid obstaret, quo minus esset subalternata Theologia Dei, & Beatorum id esset, quod principia subalternata scientiæ debent esse conclusiones deductæ ex altioribus principiis à scientia subalternante: principia verò Theologiæ viatorum sunt ipsæmet veritates primæ, & per se notæ Deo, & Beatis: vt quod Deus sit trinus, & vnus, &c. Sed hoc non obstat, quo minus Theologia viatorum sit subalternata: nam cum aliquid, quod in creaturis inuenitur, transferimus ad Deum, sine perfectione transferendum est: atque idcirco ei scientiam tribuimus cum euidencia, & certitudine; sine discursu tamen, quæ est imperfectio, quæ habet ex nobis. Cum igitur dicimus, Theologiam viatorum subalternari scientiæ Dei, non est ita intelligendum, vt scientiæ Dei tamquam subalternanti tribuamus id, quod habent ceteræ scientiæ creatæ subalternantes: probare scilicet per discursum conclusiones suas, quæ assumuntur, vt principia in scientia subalternata. Non ergo opus est, vt principia Theologiæ viatorum, quæ sunt articuli fidei, sint conclusiones Theologiæ Deo, & Beatis; sed satis est, si quæ sunt euidenter nota Deo, & Beatis, fide solum credita assumantur à viatoribus in sua Theologia. Quæmadmodum si Geometria sine vilo discursu haberet euidenciam suarum conclusionum, quas nunc perspectiuam assumit, vt principia, esset nihilominus subalternans, perspectiuam vero subalternata, sicut modo est.

Hæc est Caietani ratio, & sententia, quam satis obscure tradit, vel ea præsertim ratione, quod in multis codicibus, etiam Romæ excusis, peritodus

quædam sit multum mendosa in hunc modum. *Et quod subalternata non quod discursus demonstratiui probationem principia subalternata, sed quoad euidenciam illorum, &c.* Quæ sane verba nullum sensum reddere possunt. Emendari autem debent hoc modo, *Et quod subalternata, non quod discursus demonstratiui probare principia subalternata, sed quoad euidenciam illorum, &c.* Et ita optimum habent sensum, quem hæcenus referentes sententiam Caietani, exposuimus.

CAPVT II.

Vera opinio de subalternatione Theologiæ.

Opposita sententia magis communis est, & amplectenda, quæ dicit Theologiam nostram, etiam si esset vere & propriè scientia, esse non posse, neque dici subalternatam. Sic multi recentiores etiam S. Thomæ discipuli: ex antiquioribus vero Scholasticis Scotus post q. 3. Prol. in q. 4. & 5. laterali §. Ad 2. q. & §. Sed quid. Henricus in Summa 2. 7. q. 5. Argentina q. 2. prol. art. 3. Duran. quæst. 7. prol. Refertur etiam pro hac sententia Aureolus, in 1. q. Prol. ar. 2. in argumentis primi ordinis contra 2. conclusionem; concordat Herusus quod lib. 11. qu. 18, qui solum ea ratione negat esse subalternatam, quia principiorum illius non habetur euidencia. Ex aliis verò, quos disput. 4. allegaui pro vna: vel alia sententia, nullus, quod ego legerim de hac re disputat. Illi quidem, qui dixerunt, Theologiam viatorum non esse scientiam ea ratione non disputant, quia si non est scientia, non erit subalternata. Alij vero, qui propriè scientiam esse dixerunt, quod manifestum illis esset, nullum genus subalternationis in illam propriè conuenire.

De S. Thoma, quem pro sua sententia asserunt Caietanus, & Capreolus, non est, cur suspicemur in eadem cum ipsis fuisse opinionem. Allegatur sanè à Capreolo in scripto super Boeth. de Trin. q. 2. a. 2. ad 5. & ad 7. & q. 14. de verit. a. 9. ad 3. Citarique quoque potest in hoc art. sed nullibi asserit Theologiam viatorum subalternari Theologiæ Dei, & Beatorum, sed, vt ostendat, nihil ob stare principia in Theologia à nobis excipi per solam fidem, quo minus illa sit scientia, vitur comparatione scientiæ subalternatæ, cum accipit sua principia, sola fide credita, à scientia subalternante, in qua sunt euidenter nota, quæ nihilominus est scientia; Scilicet ergo inquit, satis est, vt Theologia viatorum sit scientia, principia illius esse euidenter nota in superiori. Non dixit in subalternante, sed in superiori, non igitur disputat, neque curat. S. Thomas de subalternatione. Nihil aliud docuit Ricard. quæst. 2. Prol. Quare pro opposita sententia referri non debet.

Ad pleniorẽ verò intelligentiam, & huius sententiæ confirmationem, primò obseruandum est, non licere nobis alio modo philosophari de subalternatione nostræ Theologiæ, quam Arist. & alij philosophi de scientiarum subalternatione in vniuersum locuti sunt, alioquin, vt dicebamus disput. 4. c. 8. tribuere possemus Deo sine metaphora iram, penitentiam, & id genus alia, quod est falsum. Sic ergo vt sciamus, vtrum Theologia nostra verè & propriè subalternetur Theologiæ Dei, aut Beatorum, an non, necesse est videre, an ei conueniat ratio subalternationis, quam philosophi tradiderunt. Nam si aliquis modus subalternationis ex iis, quos philosophi assignauerunt, illi non

Emendatum
commenta-
rius Caiet.

4.

Scot.
Henric.
Argent.
Duran.
Aureolus.
Hernus.

S. Thom.

Quid sensu
rit S. Thom.
de subalter-
natione
Theologia.

Ricard.

Fundamen-
ta vera opi-
nionis.

6.

non conuenit, commentitium erit, & futile, illam appellare subalternatam. Quocirca fallitur *Ægidius* supra allegatus, qui dum contendit defendere priorem sententiam, facit planè nullum genus subalternationis ex assignatis à Philosophis ei quadrare; sed nouo quodam modo subalternatam esse.

Hoc posito, quod superest, videndum est, in quo consistat vera ratio subalternationis. Ex allegatis Doctoribus tractant de hac re *Ægidius* p. 2. Prol. a. 1. *Duran.* & *Henric.* loco citato. Notandum igitur est secundo, necessarium esse ad subalternationem sicut censet *Henricus*, & *Durandus*, & indicat *Scotus*, principia subalternata esse conclusiones probatas in subalternante, id quod infra clarius patebit. Quamobrem assignatur ab *Arist.*

Aristotel.
Secundum
fundamen-
tum.

Cur demon-
stratio quia
sit scientia
subalterna-
ta subalter-
nantis vero
propter
quid.

Inductio est
evidens ar-
gumentatio.
7.

Tertiū fun-
damentum.

Ægidius
de subalter-
natione du-
plicet, quid
dixerit.

8.

1. *Post.* c. 10. discrimen inter demonstrationem, *Quia*, & propter quid, quod hac utitur scientia subalternans; probat enim ex causa suas conclusiones: illa vero utitur scientia subalternata, id quod ita est intelligendum, non quia conclusiones subalternantis, quæ sunt principia in subalternata demonstrantur ex posterioribus conclusionibus eiusdem subalternatæ; esset enim inutilis circulus, sed quia subalternata non habeat euidenciam propositionum, quas assumit, ut principia, ex demonstratione subalternantis, & continuatione cum illa, sed ipsas euidenter probat inductione. Hoc enim argumentum esse necessarium, & generans euidenciam, si fiat, ut oportet, ut notissimum suppono in doctrina *Arist.* 2. post c. 18. cum enim inductione constat sua natura singularia aliqua eodem modo accidere, rectè inferuntur in alijs eodem modo euenire, quia natura est ad vnum determinata: ex præmissis vero inductione notis non inferuntur, propter quid. Nam quamuis sint priores ipsa conclusione; non tamen sunt notæ à priori, sed inductione, quæ est argumentum à posteriori. Ideoque demonstratio ex illis propositionibus ducta, non verè ostendit ipsum propter quid, sed ipsum, *Quia*.

Tertiū obseruandum est, non satis esse ad rationem subalternatæ scientiæ, si principia ipsius sint conclusiones demonstratæ in superiori: sic enim partes Philosophiæ posteriores subalternarentur prioribus, quas supponunt, imò posterior demonstratio *Euclidis* subalternaretur priori. Quævis ergo in omni subalternata scientia principia sint conclusiones subalternantis; non tamen omnis scientia, vel pars scientiæ, quæ hoc habet, est subalternata priori. Bifariam itaque (inquit *Ægidius*) ut traditur 1. *Post.* c. 10. contingit scientiam propriè, & pressè esse subalternatam; & utroque modo distinguitur à subalternante; vno quidem modo, quando obiectum scientiæ subalternatæ addit differentiam accidentariā obiecto alterius scientiæ, cuius principia supponit. Sicut perspectiua quæ agit de linea in re visibili, atque in ordine ad diuersum modum, quo res apparet ob diuersam distantiam, supponitque, ut principia, conclusiones Geometriæ, quæ circa lineam absolute versantur, ob eam rationem est illi subalternata. Eodem modo musica, quæ agit de numero sonoro subalternatur Arithmetici, quæ tractat de numero absolute. Vtriusque exemplum affert *Arist.* in eo cap. ex quo colligimus prædictam doctrinam. Ad hunc vero modum subalternationis, quatuor requiruntur ex sententia *Ægidij*, quæ quidem referre necesse non est. Alter

modus subalternationis est, quando scientia subalternans, & subalternata sunt de eodem prioris obiecto: sed subalternans agit de illo subtiliori modo, subalternata verò rudiore. Hoc modo scientia machinarum, cuius exemplum etiam affert *Arist.* se habet ad scientiam solidorum, & scientia eorū, quæ apparent in cælo, quæ nautæ utuntur, & rudiore modo procedit, subalternatur astronomici, quæ subtiliori hæc considerat.

Hi duo modi non probantur *Durando*, sed ipse q. illa 7. Prolo. tandem dicit, subalternationem solum contingere, quando obiecta duarum scientiarum sunt res omnino diuersæ, quarum vna in alia non includitur, sed ordinatur ad illam, tanquam effectus ad causam, præsertim finalem. Veluti frænificatio subalternatur equestri; nam frænium deseruit agitationi equorum tanquam medium. Huius exemplum adduxit *Aristotel.* 1. *Ethic.* c. 1. Frænificatio autem supponit, ut principia conclusiones equestris. Quomodo cumq; ergo res sit, necesse est ad veram subalternationem esse scientias omnino distinctas, & obiecta, & vnius obiectum non contineri sub obiecto alterius; sicut species continentur sub genere. Sic enim potius essent partes eiusdem scientiæ, quam scientiæ diuersæ.

Ex his omnibus facile colligitur ratio, ob quam nostra Theologia non sit subalternata scientiæ Dei, & Beatorum; tum quia non habet conditiones, quas diximus, frustra autem aliquis excogitaret aliam modum subalternationis, ut iam notauimus; tum etiam quia, ut minimum, ad subalternationem necessaria videtur distinctio aliqua, & ex parte obiectorum, etiam si inuicem comparantur, ut genus & species; & ex parte propositionum, ne sint de eodem, ut ita subalternata tendat ulterius, quam subalternans, & ministerio subalternantis, accipiat eius conclusiones, tanquam principia ad alias ulterius inferendas, sed Theologia viatorum non accipit à Theologia Dei, & Beatorum conclusiones & principia, imò eadem sunt vtriusque principia, & Theologia Beatorum procedit ex primis, quæ nullas alias supponunt, etiam in scientia superiori; ergo non est alteri superiori scientiæ subalternata.

Hoc solum interest inter vtramque Theologiam, quod in ea, quæ est viatorum, principia non sunt per se nota, sed sola fide credita, non quia Beati, sed quia Deus viatoribus reuelauit: at vero in scientia Beatorum, sunt per se nota. Ex hoc autem non sequitur subalternatio inter illas, nec vnā alteri subseruire. Aliiter autem accidit in alijs exemplis veræ subalternationis: ibi enim, ut inferior scientia subalternata procedat ad demonstrandum suas conclusiones, opus est, ut superior quoque prius eliciat suas, quas debet ministrare subalternatæ, tanquam principia; quod si subalternata acciperet eadem principia, quæ habet subalternans, etiam si acciperet diuerso genere notitiæ, nō esset illi propriè subalternata: veluti si aliquis ex eiusdem principijs alicuius scientiæ, quæ non essent per se illi nota, sed tantū fide credita, quia forsitan non haberet sufficientem illorum explicationem, inferret easdem conclusiones, quas alius, qui eadem principia haberet per se nota, nō diceretur habere scientiam subalternatam scientiæ illius, cui sunt principia per se nota. Hac ratione vsus est *Aureolus*.

Verum respondet *Caietanus* in hoc art. 8. Adsequendum dicitur, Theologiam nostram, & Beatorum non

Durand.
Opinio Du-
randi de ear-
dem re.

Aristotel.
Ethic. c. 1.

Theologia
cur non sit
subalternata
scientiæ Dei,
&
Beatorum.
9.

Discrimen
inter scien-
tiam Beatorum
&
nostram
Theologiam.

10.

Aureolus.
Solutio Cai-
etani,
non

ARTICVLVS III.

Virum sacra doctrina sit vna scientia.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod sacra doctrina non sit vna scientia: quia secundum Philosophum in 1. Posteriorum, vna scientia est, quæ est vnius generis subiecti. Creator autem, & creatura, de quibus in sacra doctrina tractatur, non continentur sub vno genere subiecti; ergo sacra doctrina non est vna scientia.

2. Præterea. In sacra doctrina tractatur de Angelis, de creaturis corporalibus & de moribus hominum: huiusmodi autem ad diuersas scientias philosophicas pertinent: igitur sacra doctrina non est vna scientia.

Sed contra est quod sacra Scriptura de ea loquitur sicut de vna scientia: dicitur enim Sapient. 10. Dedit illi scientiā Sanctorum.

Respondeo dicendum, sacram doctrinam vnā scientiam esse. Est enim vnitās potentia, & habitus consideranda secundum obiectum: non quidem materialiter, sed secundum rationem formalem obiecti: puta homo, asinus, & lapis conueniunt in vna formali ratione colorati, quod est subiectum visus. Quia igitur sacra scriptura considerat aliqua secundū quod sunt diuinitus reuelata (secundum quod dictum est) omnia, quæcunque sunt diuinitus reuelabilia, communicant, in vna ratione formali obiecti huius scientiæ, & ideo comprehenduntur sub sacra doctrina, sicut sub scientia vna.

Ad primum ergo dicendum, quod sacra doctrina non determinat de Deo, & de creaturis ex æquo, sed de Deo principaliter, & de creaturis secundum quod referuntur ad Deum, vt ad principium, vel finem. Vnde vnitās scientiæ non impeditur.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet inferiores potentias, vel habitus diuersificari circa illas materias, quæ communiter cadunt sub vna potentia, vel habitu superiori: quia superior potentia, vel habitus respicit obiectum sub vniuersaliori ratione formali: sicut obiectum sensus communis est sensibile, quod comprehendit sub se visibile & audibile. Vnde sensus communis, cum sit vna potentia, extendit se ad omnia obiecta quinque sensuum. Et similiter ea, quæ in diuersis scientijs philosophicis tractantur, potest sacra doctrina vna existens considerare sub vna ratione, in quantum scilicet sunt diuinitus reuelabilia: vt sic sacra doctrina sit velut quædam impressio diuinæ scientiæ, quæ est vna, & simplex omnium.

Conclusio

no esse prorsus de eisdem veritatibus: nam Theologia Beatorum est de articulis fidei, nostra verò assumit articulos, vt principia. Addit etiam Caietanus obiectum Theologiæ nostræ habere rationem quandam accidentariam supra obiectum Theologiæ Beatorum: obiectum enim nostræ Theologiæ est Deus reuelatus; Beatorum verò Deus secundum se. Quod si hoc non satisfacit (inquit Caietanus) tandem negandum est, requiri ad rationem subalternatā conditionem aliquam accidentariam ex parte obiecti, supra obiectum subalternantis. Hæc tamen doctrina Caietani nullum habet fundamentum: primum quidem, quia Theologia Beatorum non tantum est de articulis fidei, qui nobis sunt expressè propositi ad credendum sed de omnibus etiam alijs veritatibus, quas inde deducimus: de eisdem ergo est vtrique Theologia, nisi quod Theologia Beatorum non discutit ex articulis ad conclusiones, sed omnia sunt Beatis per se nota: nostra verò discutit, & ex articulis colligit alias veritates. Denique hoc verum est Theologiam nostram non accipere conclusiones à Theologia Dei, & Beatorum, vt principia suarum conclusionum: sed eadem esse vtriusque. Deinde friuolum est id quod de obiecto nostræ Theologiæ dicit Caietanus, addere scilicet differentiam accidentariam, quæ est reuelatio, supra obiectum scientiæ Beatorum: hæc enim non est aliqua ratio obiecti cognita, qualis debet esse ratio accidentaria; quam includit obiectum scientiæ subalternatæ, sed tantum concurret ex parte principij ad credendum articulos fidei: ideo enim creduntur, quia credimus à Deo esse reuelatos, at in conclusionibus Theologicè deductis hæc ratio certe non est cognita. Et hæc sint Theologo de subalternatione in vniuersum.

CAPVT III.

Respondetur argumento Caietani.

Ex his patet solutio rationis Caietani. Quamuis enim ea, quæ ex creaturis Deo tribuuntur, sine imperfectione ei conuenire debeant, ea tamen quæ essentialiter includunt imperfectionem, vel aliquid Deo repugnans, non possunt ad ipsum propriè transferri: cum ergo, vt aliqua scientia alteri subalternetur, opus sit, vt superior tribuat illi suas conclusiones per discursum probatas, vt sint ei principia, aut saltem eadem propositiones in vtrique non possint esse principia, efficitur vt Theologia Dei, & Beatorum non possit esse subalternans respectu Theologiæ viatorum. Ad hoc enim necessarium erat, vt scientia Dei per discursum suas conclusiones tribueret Theologiæ viatorum: hoc autem Deo repugnat. Et quemadmodum, si Geometria haberet euentiam per se conclusionum, quas modo colligit per discursum, non esset ei subalternata respectiva: quia non haberent diuersa principia, sic etiam Theologia nostra non est subalternata Theologiæ Dei, & Beatorum; quia beatis, & Deo sunt per se nota conclusiones, quas nostra Theologia deducit. Vtrum autem Theologia nostra reuelata subalternetur metaphysicæ, an contra, ipsi subalternetur aliæ scientiæ humanæ, sequenti disp. paucis dicemus. Quod verò hic disputari solet vtrum hæc scientia Theologiæ nostræ possit esse cum visione clara, an non, & qua ratione scientia, & fides de eadem sequi pugnent tractabitur, 2. 2. q. 1. artic. 5.

Conclusio est affirmans. Eam verò, & rationem, qua vtitur S. Thomas, sequenti disputatione examinabimus.

DISPUTATIO VII.

De unitate huius scientie.

Theologiam nostram non esse vnam scientiam sentit Durandus. c. 1.

Verior, & magis communis opinio. c. 2.

Confirmatio præcedentis opinionis ex Caietano, & S. Thoma. c. 3.

Vera explicatio & definitio posterioris sententiae. c. 4.

Quomodo Theologia vtriusque principij naturalibus cum sit vna scientia, cap. 5.

CAPVT I.

Theologiam nostram non esse vnam scientiam sentit Durandus.

Praefens controuersia non est, an Theologia sit vna simplex qualitas: hæc enim quaestio de quocunque habitu, & scientia esse potest: sed an in ratione scientie ita habeat vnam rationem specificam sciendi, ut etiam si non sit simplex qualitas, ordine tamen ad vnam specificam rationem obiecti, vna scientia dicenda sit. Nam quanuis multi censeant philosophiam, vel aliam naturalem scientiam non esse vnam simplicem qualitatem: nullus tamen negat, esse vnam scientiam secundum speciem in ratione, & modo sciendi. Deinde controuersia hæc locum habet, siue dicamus Theologiam esse vere scientiam, siue solum fidem, aut opinionem: utroque enim modo assensus conclusionum generatur per discursum. Est igitur difficultas, vtrum sit vnus secundum speciem modus inferendi conclusiones: hoc enim est quaerere, vtrum sit vna scientia.

Circa quaestionem sic intellectam prima sententia sit Durandi: qui in q. 4. Prologi docere videtur, Theologiam non tantum non esse vnum habitum, sed etiam non esse vnam scientiam: asserit enim, esse plures habitus de distinctis obiectis, & per distincta media. Numero autem 5. eiusdem quaestionis, ut explicet de qua Theologia loquitur, inquit, trifariam accipi, hoc est tres habitus posse dici Theologiam. Primus est fidei infusus, qui circa principia versatur: secundus, & tertius circa conclusiones Theologicas: alter est ad defendendum, alter vero ad deducendum eas ex articulis fidei. Putat enim Durandus. q. 1. Prologi. 7. Theologiam accipi pro fide infusa: imo vero nu. 8. dicit magis communiter, sed non tam vere usurpari pro habitu conclusionum: sic ergo Theologiam in vniuersum, dicit esse plures scientias, non vnam. Supponit enim ex quaest. illa 4. Prologi. 4. cum quaeritur, an Theologia sit vna scientia, non esse quaestionem, de scientia proprie dicta: sed, ut extenditur ad fidem, opinionem, & quaecumque assensum. Sic autem intellecta opinio Durandi vera est, quatenus dicit Theologiam in vniuersum, includendo fidem infusam, & habitum conclusionum, non esse vnam scientiam. At verò præfens controuersia solum est de Theologia quatenus ponitur peculiaris facultas circa conclusiones: & hoc modo Durandus planè fatebitur esse vnam scientiam inferendi conclusiones ex præmissis, nisi quod peculiarem alium quandam habitum esse asserit ad defendenda mysteria, quæ fide infusa creduntur, quem etiam appellat peculiarem scientiam.

CAPVT II.

Verior, & magis communis opinio.

Posterior sententia est omnium Scholasticorum, quos ego legi: ex quibus, licet aliqui dicant Theologiam non esse vnam simplicem qualitatem, omnes tamen affirmant esse vnam scientiam in modo inferendi conclusiones, siue dicatur scientia proprie, siue latiori significatione. In hac sententia sunt S. Thomas, Caietanus, & recentiores Thomistæ in hoc art. Albert. in Sum. tract. 1. quaest. 3. memb. 2. & in 1. d. 1. art. 3. Henricus in Sum. art. 6. q. 3. Ægidius 2. p. Prolog. 2. Ricardus q. 3. Qui etiam supponere videntur, aut saltem non negant, esse vnam simplicem qualitatem. Cum his conveniunt Marfil. q. 2. Prolog. art. 4. Okam q. 3. principali, quaestio annua, quæ ordine est octaua, additis etiam solutionibus argumentorum, Gre. q. 3. præsertim a. 3. qui asserunt non esse vnam simplicem qualitatem, esse tamen vnam scientiam Gabriel vero q. 8. Prolog. solum docet Theologiam esse plures habitus, si includamus fidem acquisitam: intelligit autem circa articulos fidei, qui assumuntur, ut principia in hac scientia, & habitus acquisitos tam circa propositiones, quam circa consequentias. Sed an sit vna scientia sicut Geometria, vel philosophia non definit. Ceterum non omnes citati Doctores hanc sententiam eodem modo confirmant.

CAPVT III.

Confirmatio præcedentis opinionis, ex Caietano, & S. Thoma.

Sanctus Thomas ea ratione probat, Theologiam esse vnam scientiam: quia omnia, quæ in sacra scriptura, & in sacra doctrina tractantur, subeunt eandem rationem formalem diuine revelationis: vnitas autem scientiæ, non ex unitate obiecti materialis, sed formalis, desumitur. Quocirca si aliqua scientia plura obiecta materialia sub eadem ratione formali consideret, erit vna, & eadem. Sic etiam de unitate potentie docet S. Thomas: adducit verò exemplum visus: qui quanuis versetur circa varias res, puta circa hominem, & equum, ideo est vna facultas videndi: quia illæ omnes conveniunt in vnam rationem obiecti formalis visus, scilicet colorati. Ratio hæc si rectè explicetur optima est: eam tamen Caietanus, & recentiores Thomistæ, mea quidem sententia, alio modo, quàm S. Thomas, intellexerunt.

Caietanus igitur in hunc art. notat, duplicem esse rationem obiecti: alia est, inquit, ratio quæ, nimirum ipsa entitas rei, quæ est causa passionum eiusdem, & assumitur, ut medium in demonstratione: sicut entitas in metaphysica, quantitas in mathematica, &c. Alia vero est ratio sub qua, nimirum abstractio, seu immaterialitas obiecti: veluti abstractio à materia sensibili, & intelligibili in metaphysica, à materia sensibili tantum in mathematica, &c. Et hæc dicitur ratio formalis obiecti, non ut res, sed ut obiectum est. Priori constituitur obiectum in genere rei, posteriori vero in genere scibili: sicut obiectum visus, scilicet color, est sub duobus generibus, & in genere passibilis qualitatibus, cuius species sunt odor, sapor, color, & sonus: & in genere scibili, cuius species sunt visibile, audibile, &c. Atque harum differentiarum non sunt reales in ipsis obiectis: sed denominationes

Theologia in modo inferendi est vna scientia. S. Thom. Caiet. Thomist. Albert. Henric. Ægid. Ricard. Marfil. Okam.

Greg. Gabriel.

S. Thomas Ratio S. Thomæ. Vnus scientiæ ex obiecto materiali sumenda est.

4.

Caietanus Explicatio prædictæ rationis ex Caiet. & Thomistis. Ratio quæ ex sub qua obiecti sumitur.